



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 44. Concordia cum Felice ab Alphonso tentata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

ptimestri Albæ-Græcæ oppugnatione re secul. XV.
infecta turpiter discedere coactus effet, A. C. 1443.
tribus insuper magnis cladibus a celebre-
rimo Hunniade, cuius mentio alibi redi-
bit, affecti fuere.

§. XLIV.

*Concordia cum Felice ab Alphonso
tentata.*

Interea Alphonsus Arragoniæ Rex soli-
tis suis fraudibus cum Eugenio Ponti- Surita hist.
lib. 15. c. 18.
fice æque ac cum Felice egit. Rex præ-
primis nulla alia motus ratione ab Eu-
genio defecerat, quam ut eundem Pon-
tificem postulatis suis annuere compelle-
ret. Postquam ergo Neapolis Regnum
penitus occupaverat, epistolam ex urbe
Neapolit die decima Aprilis ad Felicem
dedit, decreto ad illum oratore suo Ludo-
vico Cascusa, qui cum eo de quibusdam
concordiæ conditionibus ageret, quarum
summa erat: Felix primam hujus Regis
adoptionem a Joanna Regina factam con-
firmabit, Literas investituræ in Regnum
Siciliæ eodem, quem Felici præscriptu-
rus effet, tenore concedet, totam pecu-
niarum vim Regi eo temporis momento,
quo Alphonsus ei tanquam Pontifici ob-
sequium deferet, promissam numerabit.
His conditionibus expletis Alphonsus
pollicebatur, se vicissim Patrimonium

D 2

Sancti

Sæcul. XV. Sancti Petri in Felicis potestatem reda-
A.C. 1443. eturum, omnesque Ecclesiæ ditiones re-
 recuperaturum, quarum protectionem, at-
 que tutelam tam ipse Alphonsus, quam
 Ferdinandus ejusdem Filius in se suscep-
 sent; præterea Alphonsus Rex Terraci-
 nam urbem retinebit, pro summa trecen-
 torum aureorum millium in partem mul-
 etæ danda, in quam olim Eugenius pro-
 pter inducias a Patriarcha Alexandrino
 violatas incidisset. Quam primum igitur
 hi articuli adimpleti fuerint, spondebat
 Alphonsus, se tam suo, quam Fratrum
 nomine obsequium Felici exhibitum,
 necnon complures Regnorum suorum
 Prælatos missurum ad Synodum, ubi
 cunque demum illa ad tuendam Basileen-
 sis Concilii atque Felicis auctoritatem
 congreganda foret: insuper pollicebatur,
 se ad idem præstandum itidem Mediolani
 Ducem, necnon Castellæ Regem pro vi-
 ribus sollicitaturum. Denique ex pro-
 ventibus Ecclesiæ, quos recuperabit,
 unam partem Felici, alteram Cardinali-
 bus, reliquam vero sibi adjudicandam
 petebat, deductis tamen expensis, quas
 in recuperandis Ecclesiæ terris consu-
 mere necesse foret. Suo quoque arbitrio
 reliquendum voluit Alphonsus, ut hasce
 concordiæ leges, negotio nondum peni-
 tus concluso, prout sibi libuerit, immu-
 tare, aut de concordia cum alio tractare
 posset.

§. XLV.